



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Optabat in Societate designari qui scriberent contra Hæreticos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

fitis Generalibus, vt haberent in societate homines vni aduersus Hæreticos scriptioni operatos. Quod cum sæpè egisset antè, vt à nobis quoq; supra est indicatum, affirmans putare se vix quicquam rectius, ac præclarius ad communem Ecclesiæ profectum ab societate institui, ac peragi posse, permansit in iis votis ad extremum vsque; & anno tertio, & octogesimo seculi eadem Præposito Claudio Aquauiuæ his verbis exposuit. Quoniam diuina bonitas ex variis nationibus multos præstantes, solideque doctos Theologos huic suæ societati suppeditat, quorum quidem vsus aduersus Hæreticos, grauissimas Ecclesiæ pestes, hodie grassantes maximus, ac vtilissimus esse potest, etiam atq; etiam Paternitatem tuam indignus licet filius rogo, ac obsecro, vt ex multis huiusmodi Theologis non Germanis, vel paucos seligendos, atq; in matura contra hos pestilentissimos Ecclesiæ Catholicæ aduersarios scriptione occupandos curare dignetur. Nam & Christi honos, & communis Ecclesiæ profectus, & peculiaris ratio societatis huius, quæ à pluribus, & petulantioribus hostibus, vt arbitror, appetita nunquam fuit: ac demum plurimorum imbecillitas,

Optabat in Societate designari, qui scriberet contra Hæreticos.

qui nostrorum silentio non parum offenderentur, quodammodo flagitare videtur, vt delecti quidam è nostris non viua voce tantum, sed & calamo veritatem Catholicam publicè tueantur, seq; huic seculo prudenter accommodent, ac suorum ingeniorum, & studiorum fructum ob præsentem Ecclesiæ necessitatem è sancto zelo declarent. Nec dubito hanc præclaram operam instituto nostro vel maxime consentaneam esse, neque minus valere hoc obedientiæ, & caritatis officium, quam illud, quod nostri Barbaris Indiæ ad fidem Christi conuertendis impendunt. Dominus Iesus ad sui nominis gloriam dirigat omnia. En quantum vir sapiens in hoc scribendi certamine reponebat. Volebat tamen per acrem adhiberi censuram, prouideriq; ne quid emitteretur in vulgus, quod non benè firmum, ac solidum, & accommodatum ad Reipublicæ rationes, deniq; societatis autoritate dignum esset. Volebat scriptores diligēter cauere, ne mordaciores essent, ne scommatis vterentur acerbis, sed Christianam vbiq; & religiosam modestiam obtinerent. Quod non modo à nostris exigebat hominibus, sed ab omnibus, qui contra Hæreticos scriberent.

berent. Itaq; ad Virum benè doctum, & sibi per-
familiarem, posteaq; Episcopum, à quo iudican-
da scripta quædam acceperat, hæc inter alia scri-
bit. Habeo viros doctos hæctenus mihi consen-
tientes in tuis nimirum scriptis multa dici molli-
us posse, præsertim vbi falsas allusiones immisces
de nomine Caluini, Melanchthonis, & similium.
Rhetorum est, non huius temporis Theologorū
hisce flosculis luxuriari. Non sanamus ægrotos
hisce pharmacis, sed potius reddimus insanabili-
ores. Cordate, & mature, sobrieq; defendenda ve-
ritas, vt modestia nostra nota sit omnibus homi-
nibus; & si fieri queat, testimonium etiam ab iis,
qui foris sunt, accipiamus. Quocirca nolim an-
sam Germanis tribuas, vt iuuenilē potius in hoc
scripto, aliisq; feruorem noui scriptoris incusent,
quam grauitatem, & lenitatem Theologo pio di-
gnam ament, commendentq;. Tantum amabat,
talesq; scriptores Canisius, ac nobile tanquam ar-
mamentarium per hoc eius studium fortissimis
instructum telis omne genus effectum est, vndè
non mediocriter & nobilitata res Catholica, &
communita.

Vt vero suppeteret copia idoneorum homi-